



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An impetret homini communio corporis & sanguinis Christi remissionem
peccatorum. tit. 100

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Tertia causa est, quia sic sacramenta sunt medicina sine operatione sanitatis. Et quid si omnia membra sunt sana, & cor est languidum? 1. Corin. 13. inquit Apostolus, si habuero omnem fidem, &c. ideo catholici vitant sectariorum sacramenta.

Secundò, Quantas persecutiones perpeffi sunt Catholici propter catholicam communionem, testatur Eusebius libr. 6. Ecclesiasticæ historiæ, cap. 34. de Notato hæretico cogente ad sacramentum, ne vellent subesse Papæ. Et libr. 5. Tripart. historiæ, capit. 31. de Macedonio, quomodo os ligno aperiebat, Et libr. 3. cap. 39. quomodo in fronte signabant illos non communicantes, negantes eis sepulturam. Item Hermogildus filius regis occiditur, sed hæc omnia patienter tulerunt Catholici, & nolebant secludi à catholica unitate. Augustinus Epist. 165. Si angelus de cælo mihi diceret, suscipe partes Donati, &c.

AN IMPETRET HOMINI

*communio corporis & sanguinis Christi
si remissionem peccatorum.*

TITVLVS C.

SCRIPTVRA sacra tres fructus notat, quos impetrant & consequuntur, qui dignè communicant corpus & sanguinem Christi.

Primum Christus ipsemet exprimit, Ioan. 6. inquit: Qui manducat corpus meum, & bibit meum sanguinem, id est, fide & opere, hic in me manet, & ego in eo, id est, donec hoc quis crediderit, quod ego sum panis de cælo datus à patre, pro vita æterna impetranda fidelibus, tam diu manet in me per fidem, & ego per gratiam in eo. Subindè, qui opere manducat meam carnem, & bibit sanguinem &c. mihi

mihī incorporatur, & fit mea caro & sanguis, & ego illius, & sic manet in me & cōfortatur, quōd nos non facili nos possumus separari. Romanor. 8. Quis separabit nos à charitate Christi? gladius, fames, angustia, creatura, mors? &c. Sic 1. Ioā. 4. dicitur: Maior est quā in vobis est, quā in mundo, &c. Non potest ergo sathanas quicquam in eos, qui sic Christo sunt vniti.

Secundus fructus est, communio omnium bonorum Christi, id est, participatio: quoniam in matrimonio duo copulantur, ita quōd fit ex eis vna caro. Genes. 2. Et hanc copulationem & vnitionem sequitur æqualis communio bonorum, vt quæ habet maritus, & vxor habeat. Sic quādo nos vnimur & incorporamur Christo, vt simus cum illo vna caro & sanguis, tunc sequitur etiam communio bonorum, & sic Christi bona, nostra erunt: & nostra bona operum precium illius, & sic iusti efficiamur in illo, 2. Corin. 5. Roman. 8. Si filij, ergo & hēredes. Sed quæ sunt bona Christi? Respond. Aeterna iustitia, dulcedo, gaudium, vita æterna, quæ nec homo vidit, nec audiuit, nec cor hominis cogitauit, Esai. 64. 1. Cor. 2. Illorum bonorum Christi in futuro participes erimus, & iam intramus in illa bona Christi per communionem, id est, vnionem cum Christo, sicut sponsus cum sponsa. Est igitur hæc communio tanquā thesaurus & depositus illius vnionis & participationis bonorū Christi æternaliter. Sed fides hīc in presenti vita impetrat remissionem peccatorum per baptismū, pœnitentiā & clauēs, non propter communionem. Communio participat æterna bona Christi: At fides & remissio peccatorum præcedit in hac vita: sunt enim distincti articuli fidei, remissio peccatorum, & vita æterna, licet ambo Christi beneficia distribuunt & bona.

Tertius fructus est participatio omnium bonorum Ec.

rum Ecclesiæ Catholicæ, vt sicut multorum grano-
rum quodlibet suam farinam confert, & fit vna fari-
na, & vnus panis, & multi racemi suum mustum, &
fit vnus potus: Sic omnes nos Catholici efficitur
vnus panis, & vnum corpus, quotquot de vno calice
& vno pane participamus, 1. Cor. 10. Hęc est commu-
nio sanctorum, in qua quisq; alterius particeps dici-
tur bonorum. Sic oratio & elemosyna tua, mea est:
& mea, tua.

Quartus fructus est confessio publica fidei coram
tota Ecclesia, scilicet, quod nõ bibis de calice infide-
liũ aut demoniorum, neq; socius illorum es, 1. Cor.
10. Et hęc confessio etiam suum habet præmiũ: Rom.
10. Corde creditur, &c. sic per hanc communionẽ te-
stamur nos credere in Christum, & nõ esse socios in-
fidelium & demoniorum.

DE PRÆPARATIONE AD

Eucharistiam sumendam.

TITVLVS CI.

NOtandum primò, quod iuuentus ma-
ximè volens communicare, tria scire
debet. Primò, articulos fidei, decẽ præ-
cepta decalogi, orationem Dominicã.
Hęc enim scire omnes tenetur, qui vo-
lunt se & dici Christiani. Hęc est fides cordis, & con-
fessio oris Christiani, de qua Apostolus Romano. 10:
Corde creditur ad iustitiam, id est, remissionem pec-
catorum, & oris confessio fit ad salutem. Nam qui
me, (inquit Christus) confitetur coram hominibus,
Matthæi decim. no.

Secundò, oportet scire, quid sit sacramentum, &
quare accipitur. Primum habetur ex verbis Christi,
Math. 26. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tra-
detur; id est, quod pro vobis mortuum est in cruce.
Hic est sanguis meus, qui effusus est pro remissione

s f

peccatõ-